DE MORBO CARDIACO VETERUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE II. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS BOEGER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. BENZLER, MED. ET CHIR. DR.
F. DALMER, MED. ET CHIR. DD.
C. BOEGER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Die gegenwärtigen Körperleiden sind in ihrer Gesammtheit nur eine Stufe der Entwickelung, nur eine Phase des kranken Lebens in einer grossen Reihefolge von Erscheinungen und erhalten mithin nur durch Erkenntniss des Vergangenen, nur durch geschichtliches Forschen ihre volle Bedeutung.

C. Hecker der englische Schweiss. Berlin 1834. p. VII.

VIRO ILLUSTRISSIMO, HUMANISSIMO, AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO

JOANNI DE WIEBEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIS ARCHIATRO, MEDICO-CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI A CONSILIIS IN RE MEDICA INTIMIS SUPREMIS, INSTITUTI REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, SECTIONIS PRO SANITATE IN SUMMO RERUM CIVILIUM MAGISTRATU, NEC NON COLLEGII BEROLINENSIS REM PAUPERUM CURANTIS SOCIO, EQUITI ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE SECUNDA CUM FRONDE QUERNA STELLA INSIGNIS ET GEMMIS ORNATI, CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, IMPERIALIS RUSSICI ORDINIS ST. STANISLAVII IN CLASSE PRIMA, WLADIMIRIENSIS IN CLASSE TERTIA, ST. ANNAE IN SECUNDA CLASSE GEMMIS ORNATI, IMPERIALIS AUSTRIACI CORONAE FERREAE IN CLASSE SECUNDA ET ST. LEOPOLDI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCOGALLIAE, ORDINIS REGII HOLLANDICI DE LEONE IN CLASSE TERTIA, REGII BAVARICI DE CORONA BAVARICA, MAGNI DUCATUS BADENSIS DE LEONE ZAEHRINGIO, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

SUMME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Lectori benevolo salutem!

Jam per majus temporis spatium scriptis et colloquiis virorum illustrissimorum commotus, animum converti ad ***morbum cardiacum*** veteribus maxime terribilem et ab uno certe scriptorum inter illos populos tanta arte et tam ingeniose depictum.

Adjutus quam humanissime a ***Viro Illust. Hecker*** periculum feci imaginis perniciosi morbi concipiendae, morbi ex ingenio populorum originem et incrementum ducturi, simulque cum illo oculis nostris ablati.

Quo adjumento gaudens, nihilominus tamen juvenis vix populorum et civitatum rationes cognoscere potuit, nec scriptorum simplicitatem et perspicuitatem bene intellexit, quippe qui haud mediocriter a nobis differant.

Prodierunt enim, ut ingenue confitear, magna impedimenta ex juvenilis animi natura, non satis in historica rerum medicarum perscrutatione versati, medico ceterum maxime necessaria.

Ex studio sat longe continuato, tantum amorem historiae medicae et rei ipsius, quam tractavi fructum quasi accepi. —

Qua ex causa conditionis augustiis compulsus, quam celerrime dissertatiunculam in lucem edere, novam rem

tractare nolui, sed hoc, qualecunque est, specimen trado operis otio feliciori et habitu animi meliori elaborandi.

Deest igitur splendor locorum ex scriptoribus advocatorum, quos, cum inaequaliter tantum adferre possem, omnino omisi.

Studui morbi enarrationem conscribere, eamque cum nostra pathologia quodammodo conjungere. Quantis vitiis scateat opusculum ipse optime scio, et ex te, ***Candide Lector***, tantum quaeso ne signa futuri boni fortasse inventa mihi tribuas, sed ex ***Viro Illust. Hecker*** deducenda putes, qui maxima cum liberalitate mihi libros communicavit, me interpretatione ***Celsi*** et ***Hippocratis*** ad intelligendos veteres scriptores praeparavit, et frequenti colloquio me historiae medicae principia docuit.

Ex Te vero, ***Vir Illustr. Hecker***, veniam et indulgentiam peto quaesoque, si ex hoc specimine tibi constabit me tuis praeceptis ad hoc usque tempus minus profecisse, accipias simul promissum me operam daturum, ut dignior quando appaream.

Sumas ergo, ***Benevole Lector***, opusculum et putes me ex vituperio optimum collecturum fructum, quippe quod viam indicet, qua ad altiora perveniam. —

Caelius Aurelianus inter veteres medicos apprime doctus, elegans, eruditus, omnino dignissimus, quem artis Asclepiadicae terant alumni.

***Val. Chimentellus de honore Bisellii cap.* 24.**

Jam ex initio optimum videtur nomina scriptorum adferre, quibus in elaborandis hisce pagellis usus sum,

ut sciant lectores, quibus armis qualique eorum fiducia tuitus periculum scribendi subierim.

Est enim morbus cardiacus, nil respecta rei magnitudine, a scriptoribus mirum in modum fere plane neglectus; quamquam medici tantam operam in morbis cordis tractandis jure navaverint. Imo veterum scripta, quae ad hunc diem exstant tenuia tantum apparent. Nominemus enim licet non nisi tres scriptores, dico *Celsum*, *Aretaeum*, *Caelium Aurelianum*. Ut puto ex unoquoque tractatu horum virorum de morbo cardiaco optime cognoscas eorum ad artem medicam facultatem.

Celsus (1) morbum cardiacum ut totum de medicina opus maxima cum urbanitate conscripsit, qua sibi pronos sine dubio reddit lectores, sed impedimentum fit ex levitate, qua symptomata, caussas, decursum morborum tractat. Non procedunt apud *Celsum* symptomata gravitate insignia, nec diagnosis alicubi bene constat, ita ut quaeque linea tibi in mentem revocet quaestionem: adsteteritne unquam bonus *Celsus* lecto aegrotantis. Splendidior certe apparet therapia, si quidem licet sic nominem remediorum et methodorum vagam accumulationem, missis omnibus singulorum indicationibus. Ut et nostris temporibus medicamentarii sic dicti practici, et artis medicae rudes agunt, quibus ex remedii possessu provenit in morbos securitas, quippe de difficultate administrationis nil curantes. Qua ex causa *Celsus* re vera quod ad morbum cardiacum scriptor pauper et levis.

Aretaeus (2) cultoribus Atticismi parum amicus

---

(1) A. Corn. Celsi de medicina libri octo lib. III. c. XIX.

(2) Ἀρεταίου Καππαδόκου περὶ αἰτιῶν καὶ σημείων ὀξέων

et quod ad medicinam, ex mea sententia, locum inferiorem tenet; non quidem negabo eum saepius aegrotos vidisse, sed inducebatur physiologia non mediocriter turbida. Inde ejus argumenta minus gravia, nec symptomatologiae fides semper habenda. — Omittit praeterea opinionum commentis laborans, symptomata ad ordinem exponere et ex iis vivam morbi imaginem conformare. — Therapia ***Aretaei*** iisdem sane interdum vitiis offendit, tamen supremum fortasse locum tenet inter veteres scriptores insigni hujus doctrinae ordine.

Quae cum ita sint et ***Aretaeus*** quod ad morbum cardiacum non magni faciendus singularem tamen expugnat dignitatem, quod ex ejus dictis, ut puto, appareat novam eum morbi speciem tractasse.

Tandem ad ***Caelium Aurelianum*** (1) venio solum, quem ad medicinam omnibus numeris absolutum putes, offendit certe barbaro sermonis genere, at nostris temporibus ex medico scripto quasi propriam gravem et rudem latinitatem postulamus. Observationem contra invenimus perfectam et absolutam; signa ex ipsa vita depinxit, bene aestimata, sine nidore vagarum opinionum inter se conjuncta, ut conforment corpus vivum et organicum. Vides inde apud ***Cael. Aurelianum*** aegrotum morbo cardiaco laborantem, audis ejus suspirium. Praeterea vix ullus scriptorum tantam utilium praeceptorum copiam praebet, hic optimus naturam observavit, optimus physiologiam pathologicam composuit, ut laudem uno

---

παθῶν βιβλίον β. κεφ. γ'. καὶ περὶ θεραπείας βιβλίον β. κεφ. γ'.

(1) **Caelii Aureliani** Siccensis, de morbis acutis et chronicis libr. VIII. Ed. **Joh. Conr. Ammon.** Amstelodam. 1755. 4.

dicam verbo, simillimus noster *Aurelianus Hippocratis*, dignissimus ejus sectator.

Puto talibus scriptis justo tempore et apta diligentia perlectis, optime nostri aevi medicos ab homoeopathia revocari posse.

Apparet sane in therapia sat apertus methodicus, cum timore quodam accuratus, non raro molestior, quem perlegamus. In refutandis aliorum sententiis saepe sophista et ad medicorum solitam et veram rationem injustus et durus. Nihilominus tamen hujus libri sola ope morbum cardiacum cognoscere possumus, ex hoc totius cognitionis origo.

Inter recentiores duo exstant viri, ingenio splendidissimi omnique adjumento pollentes, quo medicorum imo et externorum attentio convocari posset (1), qui rem ex toto neglectam denuo in lucem duxere; quorum nomina reverentia et pietate maxima scribo, cum certe petulans videri possem juvenis talibus scriptoribus quid additurus aut detracturus. Sunt vero hice: *Hecker* in libro de sudore anglico (2), idemque in actis societatis medicorum in Borussia (3), arte in perscrutandis et dilucidandis veterum scriptis jam celebrata et morbum cardiacum omnibus litteratis proposuit. De hoc opere illis jam in prooemio allatis nil addere possum.

---

(1) Es ist offenbar, dafs in diesem praktischen Zeitalter ohne Vergleich mehr geschrieben als gelesen wird.

Hecker in: mediz. Zeitung des Vereins für Heilkunde. Jahrgang 1833. St. 2.

(2) Hecker, der englische Schweifs. Berlin 1834.

(3) l. c. supra.

Alter *Seydlitz* (4) nuperrime artificiosam morbi similis imo ejusdem fortasse enarrationem conscripsit, quae simul ingenio practico et insigni veterum scriptorum cognitione excellit. Hic fortasse comparatione aptissima veteris et novae pathologiae nostris tandem medicis necessitatem et utilitatem studii priorum scriptorum demonstravit. Brevibus: *Seydlitz Cael. Aurelianum* perfectum reddidit, opinionibus fidem addidit pathologicae anatomiae inventis.

Si forte in hisce pagellis adversae occurrunt viris illustrissimis *Hecker* et *Seydlitz* sententiae, ne aegre ferant peto; liberalitate naturali usus sum, ex qua in litteris nunquam detrimentum mihi prodibit, obviam tam celebratis viris, quibus fortasse placebit me institutione ex erroribus ad veritatem conducere.

Nomen autem sumpsit haec passio (morbus cardiacus) a parte corporis, quae patitur.
Cael. Aurel. lib. II, cap. 30.

Morbum descripturus meliorem profecto ducem eligere non possum quam ipsum *Cael. Aurelianum.*

Exortus est vero morbus partim ex integro corporis statu, partim adductus febribus biliosis terribiliter furentibus illo tempore, per febrem dico ardentem nec minus causum; apparuit interdum earum crisis incompleta aut

---

(4) Dr. Seidlitz, Oberarzt des Seehospitals zu St. Petersburg, über pericarditis exsudatoria sanguinolenta u. morbus cardiacus der Alten.

In: Heckers neue Annalen, Bd. II. Hft. 5. p. 129—186.

arripuit metastatice organa circulo sanguinis inservientia, non raro autem videbatur tantum phaenomenon transitorium in hisce febribus ***morbus cardiacus*** praesertim diebus criticis, aut quidem hisce proximus; quod nobis certe non mirum, etenim illis temporibus verae crises frequentiores erant quam nunc, iisdemque diebus systema nervosum nec minus sanguinem moventia erant vehementer commota, ut hac intentione crisin perficerent; cum praeterea hisce febribus plerumque discrimen ex sudore veniret.

Quae res nobis causam adfert, cur veteres stomachum in morbo cardiaco affectum esse putaverint; quod tamen non ita intelligas: eos de ventriculo ipso disputasse, talem sententiam ***Celsus*** tantummodo proferre potuit, sed collocuti sunt de omnibus abdominis organis, de eorumque in organismum vi atque dignitate. Inde et melius constant ***Aureliani*** praecepta, quibus signis inter se differant ***morbus cardiacus*** et sudor criticus, quae ceterum incongrua videntur, si vero scimus hunc immodicum sudorem interdum apparuisse tempore criseos ex febribus ardentibus, quo et alias non parvus sudor vere criticus erat exspectandus, nec minus si percogitamus veteribus magnam ex sudoris suppressione provenisse indicationem, tum certe haec ***Aureliani*** disputatio apta et commoda nobis esse debet. Jam si ad morbi prodromos nos convertimus, haud raro sine iis incessu inexopinatu provenit uti et nunc saepissime pericarditis gravissima fulguris instar prorumpit; quod praesertim fit ex morbo primario. Ex altera parte, siquidem ex causo aliisque biliosis febribus originem ducebat morbus, observabatur morbus, observabatur febris vehementissima, veteribus

flammosa, pulsus celer et frequens, tensus et suppressus, *Aurelianus* eum humectum vocat, onomapoeticum; talis per accessionem (quod hoc loco de exacerbatione, febrium ardentium intelligendum videtur) per demissionem non major imo debilior, saepissime irregularis quamquam non intermittens, ita ut vehementia ordo et rhythmus deleti viderentur. Genuum, extremitatumque algor, somnus parvus et inquietus, expergefacto hallucinationes, sensuum hebetudo et gravissima jactatio incedebant, non abfuerunt sitis inexplebilis ciborumque profecto fastidium.

Non absonum tamen videtur, ex scriptorum dictis nonnullis, interdum febrilem affectionem defuisse: certe non erat semper flammosa. Sic adfert *Aretaeus* externa internaque alsisse, sitimque defuisse, etiamsi, ut ex observationibus suis enarrat, morbus febri ardenti inhaerebat. Morbi signa et imago ex diverso statu diversissima erant, id enim nemo infitias reddere potest semper paroxysmos intermissiones secutos esse, ex natura nonnullorum asthmatum, incessibus partim frequentioribus, partim longioribus intermissionibus praeditorum; ita ut et prodromi supra expositi tantum ad incessum leviorem sint referendi. Hic vero symptomatum in incessu ordo, eaque ratio: Corpus, imprimis ejus extremitates, frigidum et torpens, quod interdum usque ad livorem procedebat, etiamsi partes mediae plerumque calorem adauctum praeberent, facies collapsa, oculis in orbitam recedentibus, evanuit turgor vitalis, lineamentaque faciei naturalia, nec minus totum corpus quasi paralyticum vim repulsivam et sensitivam amisit. Organon systematis nervosi centrale non tamen ad phrenitidis rationem affectum, qua ex

causa furibunda deerant deliria, nihilominus tamen non plane liberum, sed interdum movebant morbi vehementia, congestionesque accedentes hallucinationes, hebetudinemque, quibuscum commutabatur status sensorii et judicii liberior ad vitae desponsionem et desperationem proclivis. Repertus est pulsus frequentissimus, formicans, parvus, compressus, debilis, vacuus, irregularis nec non intermittens, per acmen accessionis tremulus, imo evanescens. Simul cordis iracundi furibundus impetus, non solum ictuum inordinata celeritate, verum etiam sono late tendenti; adferunt nonnulli scriptores, quo gaudeamus licet, non aequales fuisse cordis ictus cum arteriarum micanti processu. Si tali modo circulus sanguinis major erat turbatus minor profecto non optima gaudebat quiete. Respiratio inde frequens, brevis, anhela, spiritus insustentabilis, ita ut vera asphyxia immineret. Vox parva, debilis, tremula, vix ab amicis intellecta, immo plane deficiens, quod et nos in pericarditide ceterisque morbis cordis observamus. Miserabili hac voce conquesti sunt aegroti dolorem lateris sinistri thoracis, uti referunt autores, in regione mammae inferiori, nec nos cardialgiae verae alium locum invenimus. Qui dolor premens aut pungens interdum et tantum onere anxius et compressus videbatur thorax, imo adfuerunt casus in quibus dolorosa thoracis affectio desiderabatur. Sitis immodica inexplebilis aegrotum urgebat, cum lingua sicca et arida interdum inflammatoriam tubi intestinalis affectionem comprobaret. Per conatus aegri vanos, respirationem expeditiorem reddere, anxietate summa et desperatione prorupit ex cervice, collo, thorace, facie, mox ex toto

corpore sudor profusus, colliquativus, viscido muco similis, malum odorem spargens, interdum ad naturam loturae carnis ac si retinere jam non possent vasa sanguinem, ejusque partem serosam ad externas redderent. Haec ephidrosis non raro totum arripuit simul corpus aegrotumque trepidantem ad mortem usque debilitavit; nihilominus tamen extremitates algorem retinebant, ut livorem praeberent, unguiumque gryphosin, signum certum parvum sanguinis circulum graviter pati, quod ex phthisi et cyanosi scimus. — Rarius sudor desiderabatur (ἄδηλος διαφόρησις), nil imminutis vehementia ceterum symptomatum morbique periculo. — Tunc systematis nervosi in partes externas vis imminuebatur, contremuerunt labia et cochlearibus et calicibus porrectis dentes involuntarie, quasi spasmo compulsi, immiserunt aegrotantes. Per congestiones sanguinis verberati ad caput apparuit onycha, ab ***Aureliano*** pulcherrime descripta, fortasse quando sanguinis effusio in cameram oculi anteriorem, quando vero incessibus saepius recurrentibus apostemata in oculi partibus procreata pus verum reddebant in hunc locum, secessus involuntarii miserum statum augebant; cibi et potus accepti praecipitabantur per pharyngem et oesophagum paralyticos in ventriculum emorientem, in quo, horror amicorum, per unumquemque corporis motum bombum Graecorum excitabant. Tunc nil minuto cordis impetu, pulsibusque jam non micantibus, oculorum tenebrae, omniumque sensuum obnebulatio intraverunt; praesagiebant aegri mortem quae, ut videbatur, ex exter-

nis partibus ad internas procedebat, fuit enim cutis quasi ampla, corpus tantum ad vestimentorum rationem tegens inde rugosa et plicas, uti in Cholera, retinens.

Haec incessus imago, haec ejus terribilis magnitudo; nec tamen semper tam tristis eventus. Saepius ex sudore in somnum transierunt sat profundum et relevantem, tunc in suscitatione nil remanserat in memoria ex morbo nisi somnii obscura recordatio, non raro vero ex medio somno producebantur ad novum incessum eorumque perlonga consecutione tandem mors aut valetudo secundior exoriebantur.

Intermissionis tempus ex veteribus scriptis bene describi non potest; minor respirandi anxietas, cordis pulsatio moderatior, sensorium liberius, sensus paratiores, nil mutato pulsu et somno inquieto, hoc stadium ut videtur insignivere.

De tempore, quod totus morbus explebat, nusquam uberius disputant scriptores, ut puto ex rei natura. Partim ex uno incessu vitae finis provenit aut status plane bonus, partim longa incessuum series totam vitam sibi assumsit, omnemque ejus usum vetabat. Erant et casus, in quibus numerus sat magnus incessuum corpus vastabat valetudinemque bonam jam finito morbo tamen non admittebat. Sic et nostri medici vix anginae pectoris finem et modnm destinare possent. Id confirmant veterum sententiae de sequelis morbi, de marasmo, ut dicunt, incessus minoris vehementiae recurrebant passim, sanguinis circulus et respiratio nunquam normalis, indeque ta-

bes aut hydropes vitae finem imponebant circuitu latiori, quod ceterum uno eodemque impetu perfectum erat. Qualem vitae finem et nunc in hydropericardio, in adhaesionibus cordis, ut brevibus dicam, in angina pectoris videmus.

Non bene constabat inter veteres, fueritne morbus febrilis nec ne. ***Caelius Aurelianus*** recte sine dubio censet utrumque occurrisse. Si adfuit in talium symptomatum caterva febris, origo ejus tantum ex inflammatione organorum circulo sanguinis inservientium esse potuit eaque tum medicos non fugisset; ex altera parte certe saepissime defuit febris, quod minime adversum ceteris symptomatibus; sic et pericarditidem haemorrhagicam saepius non febrilem vocare possumus, sed magis chronico decursu post tandem tantam febrem irritatione excitat (***Kreysig***), qui tandem medicus anginae pectoris febrem invenit nunquam.

Non minima inter veteres disputatio de morbi sede, nobis jam satis nota, quippe qui de morbis cordis melius eruditi simus. Putabant enim nonnullis fieri rem ex stomacho languente, quae sententia in tali symptomatum concursu nunc non fusius refutanda videtur, alii pensabant pati diaphragma (conferas libros de angina pectoris), quod organon cordi maxime affine certe non semper omnino liberum, tamen, cum nemo aliquid de singultu adtulerit, sedes morbi non erat; plurimi consentiebant de affectione cordis, imo nonnulli acutum ingenium nobis probant, demonstrantes dolorem magis pungentem

et vehementem ad pericardium pertinere, magis obtusum ad cor ipsum. Nobis palpitatione tam stricte a veteribus descripta, respirationis anxietate, vocis, pulsus, extremitatum, coloris, unguium, animi statu, fortasse ipso sudore, sat de corde vehementissime affecto constat.

Morbi sede exposita necessarium loquamur de natura affectionis. Veteres nesciebant, adsitne inflammatio in organis cordis. ***Caelius Aurelianus*** putat mittendam totam hanc rem, cum morbus solutionibus sit adnumerandus (ex ***Sorani*** magistri sententia), quae sententia etsi practica tamen hoc dubium non solvit, nec parvi nobis momenti res, nec difficile cognoscenda; fere enim est eadem ut diximus de febri. Si semper adfuisset in corde inflammatio quis unquam de febri dubitasset; si nunquam inflammatio adfuisset, qua ex causa loquitur et ***Caelius Aurelianus*** de tumore circa cor et circa praecordia; cur jubet ***Aretaeus*** optimus inter nostros medicus prae ceteris venaesectionem institui. Quae inflammatio si necessario non adfuit exponendum, qualis se morbus ceterum habuerit.

Constat fuisse morbum cordis saepius jam per se inflammatorium, saepius vi et impetu incessus inflammationem moventem, haud raro vero sat periculosum sine inflammatione peractum esse. Hanc morbi rationem et naturam paullo post uberius exponam.

Quis est quin optet ex dignitate anatomiae pathologicae ad dirimenda omnia illa dubia cadaveris investigationem in ***morbo cardiaco.*** Hanc sane veteres pro

ratione doctrinae non praebent; qui tamen, qua decet attentione, morbi descriptionem perlegit apud ***Virum ill. Seydlitz*** ejusque novi morbi cum ***Caeliano*** comparationem, non putabit vehementer abhorrere novi morbi inventa ab requirendis in veterum ***Morbo cardiaco.***

Erant vero organa abdominis, cerebrum et medulla spinalis integra; contra in thorace pulmones sanguine atro scatentes ut interdum carni musculari aut substantiae hepatis similes essent, pleura ex toto normalis, pericardium immodice ad rupturam usque sanguine coëruleo et fluido repletum, ventriculi et atria coagulo firmo, gelatinoso, jam per vitam conformato pollentia, vagus et plexus nervorum cordis normalem habitum praebentes.

Si ingenue meam sententiam adferre possum, puto veteres interdum recensita invenisse, simul hydropericardium, adhaesiones cordis, saepius organica cordis vitia, fortasse et exsudationem purulentam non raro vero sine dubio nil nisi pulmonum cum sanguine repletionem, non causam sed sequelam morbi. Etenim si constans fuisset illud a ***Seydlitz*** inventum, tunc fere nunquam evasisset diaphoreticus; praeterea recurro ad omnes viros practicos, praesertim ad ***Laennec***; quantopere omnia illa symptomata, eaque vehementissima videbant, ita ut omnes sperarent pericarditis eventus inventuros, in sectione vero nil nisi pulmonum repletio inventa. In auxilium tandem convoco de angina pectoris libros, imprimisque cadaverum investigationes in hoc morbo.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ἔῃ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται καὶ δίψην ἔχῃ, θανάσιμον.

Hippocrt. Aphorism. Sect. IV, n. 48.

Si tandem nobis tractandam sumimus prognosin hujusce morbi, ceterum jam supra expositam, haecce fere exstabat. Vitae finem pluribus rationibus imposuit ***morbus cardiacus:*** congestionibus sanguinis comprimebatur cerebrum, nec minus pulmones, cor compressione jam mechanica ad paralysin pervenit. Quod vero summum, sudor, ut omnes consentiunt, colliquatione confecit non raro vitam. Ex altera parte, morbi secundarii jam supra sunt nominati, quibus longo circuitu mors adducebatur. Quae cum ita sint contendamus necesse antiquitate terrori veteribus fuisse imprimis si, ut ***Aurelianus*** adfert, epidemice advenit. Singulis quidem non absolute lethalis, tamen numerus sanatorum parvus, et quis nobis refutare posset, praecavere medicum ***Morbum cardiacum*** posse, ipsi vero nil adjumentum adferre.

Τί δὲ καρδίης ἄλλο καιριώτερον ἐς ζωὴν ἢ ἐς θάνατον;

Aretaeus de signis et caussis acutorum lib. II. cap. 3.

Si brevi respectu morbum nostro systemati morborum adjungere volumus, sic fere res sese habere videtur. Est adnumerandus ***Morbus cardiacus*** morbis cor-

dis sensu strictiori, eademque ratione periculosus, non necessario inflammatio nec febrilis, incessibus irregularibus insignis, intermissionibusque non circumscriptis, decursus similem in modum irregularis, haud raro per totam vitam talis status restabat. — Fortasse sectionis inventa incerta ut diximus: exsudationes variae, adhaesiones, vitia organica, repletiones pulmonum; ex altera parte mox jam inde ab initio inflammatio cordis aut pericardii adfuit, mox postea supervenit, mox plane defuit. His bene compositis licet fortasse contendam nos anginam pectoris huic *morbo cardiaco* opponere posse. Dicunt sane alii me obscura obscurioribus comparasse. — Unum tamen morbo proprium apparuitque per saeculorum seriem semel tantum, dico sudoris ingentem magnitudinem ejusque vim in totum organismum, perdnrabat ut videtur ceteris symptomatibus jam amotis et per se finem adduxit vitae. Per hoc symptoma late distat ab omnibus nostris morbis, etiamsi nonnulli propius accedant. ***Vir illust. Hecker*** sat de hac re in sudore anglico disputavit, eum describam necesse esset.

Id tantum addam liceat: quantum distat nostra aetas ab illis saeculis, tantum et hic sudor diversus ex quo morbo nomen diaphoreseos, qua de re nonnulla et adfert morbi aetiologia.

Nunquam sitientes bibimus, nunquam esurientes edimus, ut de Dario atque Ptolemaeo refert Cicero, sed relicta priori copia statim repetimus quam reliquimus satietatem; usque adeo nulla est apud nos conviviorum aestimatio naturali usu, sed stulta persuasione et consuetudine.

Joh. Caii Brittani de ephemera brittannica, recudi curavit C. Hecker Berol. 1833. *p.* 47.

Observatus est morbus ex saeculo tertio ante Ch. usque ad saecul. secund. post Ch. natum uti constat ex vita scriptorum, qui ejus mentionem faciunt et ex medicorum vita, qui in eo describendo nominantur. Est vero temporis spatium annorum quingentorum, per quos genus humanum res immensas peregit et comperit.

Imperia in Asia et Africa frangebantur, cum ibi hominum degeneratio maximum jam attigerat gradum, Graeciae flos evanuit, et hujus populi dignitas corrupta; pluries contraxit musculos cadaver exanimatum ratione profecto superba, quasi ex galvanismo admoto; tamen sine vita interna et eventu firmo; Romanum scelus rude corripuerat omnes terras in inordinatum chaos cui deerant vitae principia, quodque mortis germina secum ferens veloci et horribili cum ingressu ad interitum procedebat. Humanum genus sceleris ad acumen pervenerat, perdendum erat; natus est Christus, ut nova genera inter ruinas et cineres praeteritorum vitam agere possent, quibus spes secundior arridebat.

Hoc *morbi cardiaci* tempus, haec ejus ratio.

Institutionis singuli tantum participes, ceterum omnes rudes et ineffrenati, libidines bestiarum fines attigerunt imo supergressae sunt, adfuerunt artificiosi et naturae humanae inimici usus voluptatis, qui non solum innotuerunt verum etiam late tendebant, res nobis plane ignotae; hisce hominibus non solum ciborum adaptatio, verum etiam ipsa edendi functio bestiali ratione ars erat; vini abusus maximus, emetica recipiebant post cibum ut ter quaterve accumbere possent; balnea tepida et calida post coenam more fere sacra. His adnumera animi commotiones in saeculis proscriptionum, ubi nulla dies postero eundem reipublicae statum tradebat, idque sub coelo meridionali. Hae ut puto causae ortum morbi cordis, corruptionem cutis ad profusum illum sudorem declarant; cum talis vitae ratio scorbuticam dyscrasiam proferre debeat; uti tempore belli civilis apud Francogallos majorem numerum corde affectorum vidimus, ut et *Seydlitz* in classiariis similem morbum observavit qui saepissime bestiarum agunt vitam quibusque balneorum abusus oblectamento est.

Eadem adfert *Caelius Aurelianus:* accusat calorem siccum, inde aestivum tempus, nominat magis obnoxios juvenes sanguine pollentes, succolentos; magisque erat inter viros quam inter mulieres, recenset indigestionem, vinolentiam, vomitum post coenam cum lavacris hoc tempore, animum demissum, virium intentiones vehementes, sanguinis aliorumque succorum evacuationes nimias, no-

minat corpora tumida, constitutione laxa et cachectica, cum impura succorum repletione in morbum prae ceteris proclivia; tunc exspectandus erat, uti ***Caelius Aurel.*** ait, morbus, si et aliae solutiones observabantur. Quae virium et succorum corruptio si gradum quendam jam attigerat, non amotis causis, certe facillime ex avo ad nepotes procedere potuit, morboque tam longam parare debuit vitam, quod jam ***Hecker*** attulit.

Provenias nobiscum paullisper ad anginam pectoris C. L. quae ut scimus Anglos praesertim infestat, unde et ***Heberdeni*** observatio. Anglis longa et gravis coena magni, ipsi spirituosis potibus fere magis ullo populo dediti, nec minus iis reipublicae et vitae privatae jam dudum status inquietus, inde magna apud eos organorum abdominalium destructio, quae, sub coelo magis aestuante febres ardentes procreans, hic magis chronicam abdominalem cachexiam adducit, ex altera parte anginam pectoris, ex altera late tendentem arthritidem, cujus accuratum nexum, quod ad pathogenesin, jam ***Hecker*** indigitavit. Ita et ex parte aetiologica sententia supra allata non plane rejicienda videatur.

Displicet illa opinionum vertigo, qua ars laborat, ubi hypothesis hypothesin trudit.

Max. Stoll. Aphor. de cognoscend. et cur. febr. in prooemio.

Est autem ex toto therapia in ***morbo cardiaco*** pars

molestissima et tristis; sunt enim scriptores in hac parte sibi injusti, repudiant ad medicorum morem omnia non a se proposita. Oppositae sunt methodi maxime contrariae quodque ad numerum cadaverum certe plane pares, uti et nostris temporibus homo quidam pneumoniam opio curâsse se narrat. Tamen tractemus et hanc partem necesse ut medicos eorumque actiones cognoscamus morbique naturam uberius peragremus, fit enim diagnosis ex juvantibus et nocentibus. Tota vero *morbi cardiaci* therapia inter veteres duplex methodo directa et indirecta; defendebat hanc *Soranus* cum *Cael. Aureliano* aliis, illam *Themison Asclepiades* cum *Aretaeo.*

Caelius Aurelianus totum morbum solutionem vocat ut supra exposuimus cui respondens remedia adfert. Est, ut solet, accuratus et praeceptis dives, sapientiam tamen sat manifestam apud eum cognoscas. Cubiculum sit magnum, aëri pervium, frigidum, lectus patens ut levi motu aeger sicciorem et frigidiorem locum accipere possit, stramenta et tegumenta levia et frigida, cubiculum sit repletum odoribus jucundis, cum visu hilari et amoeno, animus hilaris praestandus, collum, caput et thorax per incessum spongiis madefactis refrigeranda, adhibeatur tunc vinum leve, non acerbum, medii aevi (qua occasione data exponere studet vini vim in corpus, quae sententiae et nunc pollent) ex initio parva copia crebriorque; eadem cura in adhibendo cibo, quem iterum et iterum praebet si vomitu ejicitur, quod praeterea inunctionibus regionis epigastricae et cucurbitulis ibi applicatis vitare studet

quod si minus cedit clysmata nutrientia in usum vocat. Perunctio corporis et oris mundities ei magni momenti. Tunc si ad somnum venit quies quam maxime bona administranda est. Ex altera parte pugnavit et ***Cael. Aurel.*** symptomatice contra sudorem uti et ceteri lotionibus adstringentibus ex plantis quarum simul nonnullae incitantes egisse videntur in systema cutaneum emoriens, non abfuerunt terrea absorbentia, quae acidum sudoris amoventes utilitati erant, imo saturnina advocavit, quo constat symptomatis vis atque pertinacitas.

Hac certe sapientissima cura ***Caelii Aureliani***, vituperioque venaesectionis ceterorumque majorum remediorum id sane constat ***Sorano Caelioque*** illam magis dynamicam occurrisse formam uti et angina pectoris in hystericis et seminis nimiis jacturis tabescentibus. ***Aretaeus*** ceterique medici magis ad agendum convocantes non vituperant illam externarum rerum prudentem coaptationem, sed jubent ex initio venaesectionem aut localem sanguinis emissionem si generalem vetat virium status. Superfusiones et epithemata ex aqua frigida in caput et thoracem ut liberior fiat respiratio, infrictiones irritantes similesque lotiones ut vitam adderent cuti sanguinemque ex internis allicerent, eadem ex causa derivantia fortia in extremitates algidas, tunc non abfuit vinum maritimum, ut et per tubum intestinalem derivetur, nec minus clysmata ex aqua frigida, remedium sat forte, ut experientia docet, et irreparabile in morbis congestivis et inflammatoriis ut libera fiant organa capitis et thoracis. Ad

sudoris repressionem eadem remedia praesto erant, quae supra recensui. Quibus constat et haec remedia in morbo experientia comprobata esse: etenim nemo nisi forte homoeopathiae assecla, remedia adfert quae nunquam utilitati erant nec erunt et quominus huic sectae proni essent impediit apud veteres probitas et animus integer. — Quae si bona erant, *Aretaeo* morbus magis erat inflammatorius, quia ceterum recessisset, ipseque adfert interdum insecutam esse inflammationem chronicam.

Quae cum ita sint constat sat superque morbum cardiacum esse passionem cordis, ex natura non inflammatoriam sed destructionem organi centralis circuitui sanguinis inservientis, adductam mala fibrae constitutione, cum sanguinis dyscrasia, quae nunc inordinate non inflammationem excitabat, nunc inflammationem nunc prius ejus eventus, natura epidemica vero ex sudore cognoscenda.

Ex altera parte tali modo anginae pectoris ex altera pericarditidi haemorrhagicae ab scorbutica aut alia dyscratica diathesi conjunctus est, quacum *Seydlitz* eum comparavit, tandem sat manifeste sudorem anglicum ceterosque morbos sudore insignes tangit, quod *Hecker* indigitavit.

Gravitatem et dignitatem autem morbo negare non possumus, qui per quingentos annos jure veteres populos conterruit, tuncque *morbum cardiacum* mitto. Tu vero *Lector Benevole* valeas.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum *Ernestus Fridericus Ludovicus Boeger* die XII mensis Maji anno MDCCCXI Berolini patre regis Borussorum pedissequo, matre e gente *Jerg*, quibus parentibus adhuc superstitibus gaudeo. Confessioni evangelicae addictus gymnasium frequentavi regium Joachimicum. Anno MDCCCXXX mense Aprili, testimonio maturitatis instructus, inter numerum civium instituti regii Friderici Guilelmi medico-chirurgici, receptus per quadriennium studio medicinae et chirurgiae incubui, virosque illustrissimos audivi: Cel. *Wolff* de hodegetice, logice et psychologia; Cel. *Turte* de physice, chemia, pharmacia, Beat. *Hermbstaedt* de pharmacia et chemia, Ill. *Link* de botanice,

toxicologia, historia naturali, Ill. *Schultz* de botanice, Beat. *Rudolphi* de osteologia, de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum foetusque humani, de physiologia, Ill. *Schlemm* de osteologia, syndesmologia et splanchnologia, Ill. *Schlemm* et Beat. *Rudolphi* de arte cadavera rite dissecandi, Cel. *Eck* de physiologia, Ill. *Lichtenstein* de zoologia, Ill. *Fr. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali; Ill. *Horn* de pathologia speciali, de morbis syphiliticis, de alienatione mentis, Ill. *Osann* de materia medica, Cel. *Casper* de medicina forensi et de arte formulas medicas concinnandi, Ill. *Kluge* de arte fascias rite applicandi, de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia, Ill. *Juengken* de akiurgia et de chirurgia speciali, Cel. *Dieffenbach* de vulneribus, Cel. *Hecker* de Celsi libris deque Hippocratis aphorismis.

Exercitationibus clinicis interfui et medicis et chirurgicis, et ophthalmiatricis et obstetriciis Ill. et Cel. virorum *Hufeland sen.*, *de Graefe*, *Bartels*, *Wolff*, *Rust*, *Juengken*, *Kluge*, quibus omnibus summe venerandis gratias habeo quam maximas.

Studiis peractis mense Aprili a. MDCCCXXXIV in nosocomium caritatis Berolinense perveni, ut fungar per annum munere chirurgi inferioris, tum mense Aprili a. MDCCCXXXV exercitui regis Borussorum contributus sum centuriae chirurgus.

Nunc tentaminibus philosophico et medico, examineque rigoroso absolutis dissertatione thesibusque defensis summos in medicina et chirurgia honores ex facultate gratiosa peto.

THESES.

1.

Ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ τέμνονται ἢ καίονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόου πάντως ἀπόλλυνται.

Hipp. Aphor. Sect. IV. N. XXVII.

2.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μασθοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Ejusdem Sect. V. N. 36.

3.

Τῷ ἰηθέντι χρονίας αἱμοῤῥοΐδας, εἰ μὴ μία φυλαχθῇ κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι ἢ φθίσιν.

Ejusdem Sect. VI. N. 12.

4.

Τὸ αἷμα ἐν ὕπνῳ εἴσω μᾶλλον φεύγει.

Ejusdem Epidem. libr. VI. Sect. V. ed. Kühn. p. 609. Partis III.

5.

Non his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frigidae prodest; sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, destillationes, tonsillaeque male habent.

Celsi de medicina libr. I. cap. V.

6.

Omnibus igitur collocationibus generatis (in empyicis) vel cum tumor in liquorem vertitur, sequitur febricula vehemens inordinata et saepe cum rigore et torpore frigido.

Cael. Aurel. lib. V, cap. X de empyemate §. 94.

7.

Omnium eruptionum (puris) tutior est illa quae in vesicam venerit, atque mictuales vias. Etenim naturaliter creduntur hae partes jugem acrimoniam liquidorum excipere ac reddere.

Idem eodem loco §. 119.

8.

Hydropem calidum phlebotomia solvit.

M. Stoll aphor. de cogn. et cur. febr. N. DXCIII.

9.

Quo tempore inter juniores febris scarlatinosa grassatur, inter adultos saepe sola angina comparet.

l. eod. n. DLXXXIX.

10.

Vix non in omni febri (maligna excepta) aut prodest aut saltem non nocet, curam a methodo plus minusve antiphlogistica auspicari.

l. eod. n. DCCCXLVII.